ratio: atq; ita dicit Auguſtinus. Non timeo ebrioſum in actu Baptizandi: id eſt aſſuetum generaliter ad ebrietatem, quia illa cõſuetudo mala non prohibet quin Baptiſmus ab eo collatus ſit bonus, non tamen quando eſt ebrius, hoc eſt quãdo totaliter impeditur rationis vſus, ſecus quãdo nõ impedit. Vnde ebrius perfecte ebrius nullo modo Baptizat qa nõ intẽdit facere quod Eccleſia facit, ſed ebrioſus qui ſæpe inebriatur, ex quo aliquãdo habet lucida interualla, bene poteſt Baptizare, quia poteſt intendere id quod Eccleſia intendit. Quapropter diligenter inquirat Parochus, ſi ille qui domi paruulum Baptizauit erat ebrius, aut ebrioſus: ꝙ ſi re diligenter diſcuſſa non ſatis conſtiterit Baptizantem fuiſſe liberum ab ebrietate, minus inconueniens eſt talem paruulum ſub conditione Baptizare, quam ipſum ſine Baptiſmo relinquere. Nec ex hoc incurret irregularitatis pœnam rebaptizantibus inflictã: quia illa ſolũ modo imponitur contra rebaptizantes ſcienter & temerê: non autem contra rationabilem habentes dubitationem.

¶ Debet etiam ſcire Parochus ꝙ ſcienter rebaptizati, & rebaptizantes pœna irregularitatis